





S.VIII.33.

VOTIVÆ GRATVLATIONES,

Reverndo & clarißimo viro

Dn.

M. ANTONIO BVRCHARDO

Jllustris Pædagogij Sedinensis Subrectori dignissimo, meritissimoq́; , in patriam Lubecam ad suscipiendum munus Ecclesiasticum jam jam abiturienti.

debitæ gratitudinis & observantiæ ergò consecratæ

à

Civibus & amicis quibusdam.

ANNO

I, te fata VoCant, optat te patrIa Chara,
HoCCe saCrata TrIas Det bene CeDat opVs.

M. B. L.

STETINI, Typis Duberianis.

99



Rnantur nobis numeris, qui Palladis artes
Vt discant, Academias visunt, magis ergò
Multo Burchardus nobis est iure canendus,
Qui nobis artes dedit, & toto pietatis
Pectore opes fovit, semperq́ fovebit in vrbe
LVBECA: namq́ hic vera pietatis amator
Hac ergò meritò cecini ipsi gutture rauco
Carmina. Fœlix hinc abeat, veniatq́ LVBECAM.

Gratulationis ergo
Georgius Schlusselburgius Ratzeburgensis Megapolitanus apponebat.

ALIVD.

ANTONI, venerabilis Magister;
Nostri Pars studij perāpla; nostræ
Dux vitæ; meritis colende metris;
Certus nunc proprio fateris usu,
Arcem quòd Pater incolens Supernam
Virtutis soleat juvare Dextrâ,
Et dignâ meritis beare vitâ,
Nutu qui subeunt DEI, frequentes
Quos afferre solent Scholæ, labores:
ARTES quâq; decet Fidelitate,
Et LINGVAS simul edocere certant,
Harum quæ cupida est, BONAS juventam.
Nam summo quia pervigil labore,
JLLUSTRI dociles SCHOLA receptos
Ornasti juvenes Latinitate:
Et privâ, publicâ vel in cathedrâ
CIVILIS SOPHIÆ simulq; SACRÆ
Fundamenta pari Fidelitate
Monstrasti: ò pariter pios labores,
Et multum, Bone CHRISTE, munerandos!
En! tibi tribuit Deus Brabéum,
Iure quod meruit suo dicatum
Cœlitus Fidei tuæ talentum:
Te dum pulvereo premi labore,
Non vult amplius in Scholis: vocatq;
Dum TVRRITA gradus ad ampliores
TE LVBECA, DEO priùs vocante,
Ut vitâ doceas tuâ, Salutis,
Vitæ, Iustitiæ viasq;, plebem.
At, dicis, statio mihi futura
Curas fortè dabit molestiores:
Ut tandem veniet mihi Brabéum,
Quod dicit tua Musa mox futurum!
Regnis in superis tibi paratū est;
Quò, ceu stella nitet, nitebis ipse,
Curâ perpetuùm solutus omni,
ANTONI, venerabilis Magister;
Nostri pars studij perampla; nostræ
Dux vitæ; meritis colende metris.

Distichon χρονολογικόν.
VIX nItet eXCœLo MaII LVXtertIa CLarI,
Vt sVa SVbreCtor patrIa teCta petIt.

Honoris & gratitudinis debitæ ergò lud.
Iacobus Schrammius Gubena-Lusatus.

ALIUD

O me Castaliâ speculetur ab arbore, tangit
Qui benè Pindaricam pulcer Apollo lyram.
O mea nunc Pitho puris Aganippidos undis
Ac Hippocrenes pectora fonte riget:
Mœnia linquenti Burchardo celsa Sedini,
Carmina Museo tincta lepore canam:
Biblia quod purè docuit, Sophiamq; Lyceum,
Me jubet id pietas, me jubet ipse DEUS.
Sufficit ast Suadæ suavis vix copia fandi,
Quæ solet Hyblæis dulcior esse rosis:
Pro meritis in me collatis tempore lapso,
Quâ tali reddam præmia digna viro.
Illius justâ meritum si pondero lance,
Mole meas vires, pondere verba premit.
Namq; Stetiniadum salvâ cum nave venirem
Ad Phœbi pulchris arva decora rosis:
Hunnichius, qui penè Mathematicûm Syrophœnix,
Magnificâ quorum laude Lycea regit.
Arte Sophῶν præclare mihi Burcharde ferebas
Pocla, Stagirita nectare plena bono.
Nempe quid Organicus venâ sit divite mentis
Monstrabas habitus, cernere vera queam.
Quæ fugienda bonis, faciendum quidquè beatis,
Summus Aristoteles ut documenta dabas.
Floreat in regnis Respublica quomodo mundi,
Tradebas claræ Dædala dicta Scholæ.
Sed quid ago? cœpto pergam nunc ordine facta
Dicere si, vivo digna colore, tua:
Antè diem clauso componet vesper Olympo,
Quam laudis tangam limina magna levè.
Si mihi præstasset gazam Rhamnusia Crœsi,
Et Tartessiaco lecta metalla Tago:
Semper inoblitâ repetam data munera mente,
Sentirent largâ mox tua tecta manu.

Annuit ast. Igitur placido jam suscipe vultu,
Carmina quæ grato pectore Musa canit.
Hæc etenim mihi sunt imis infixa medullis,
Qui me cunq; loci, temporaq; queq; vocant.
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in letho deseret ossa cito:
Quàm subeant animum meritorum oblivia nostrum,
Quæ pia Burchardi mens mihi sæpe dedit.
Te Deus incolumem turmis perducat Olympi
Lubecam, patrij dulcia rura soli.
Irriget æthereo veri te fonte, Lutheri
Quò viridi pascas gramine semper oves.
De satione Dei vellas zizania falsi
Putrida Calvini, pabula fœda Papæ.
Percipias lætam vocem post, Serve fidelis,
Intra regna Patris, præmia sume tua.

in grati animi argumentum collig:
Godofredus Reimannus Iegerndorffensis Silesius.

ΑΝΤΏΝΙΟΣ ΒΟΥΡΧΑΡΔΟΣ
ἀναγραμματιζόμενος.
ΣΤΎΡΩΔΙΟΣ΄ ΒΟΤΟΝ΄ ΧΑΡΑΝ.
Ηνίδ᾽, ἐμοῖο ΧΑΡΑΝ ΒΟΤΌΝ ἠνὶ ΣΤΎΡΩ ΔΙΌΣ ἱρου
Φωλεῦ ἐκ Σαλανᾶ ἐς δόμον οὐράνιον.

ALIVD.

TE duce Stetinum cepit bona divite cornu,
LUBECA ast capite divitiore penu:
Hinc eris amplorum ditissimus ipse bonorum,
Sic bone vir pergas, sic bene pergis iter.

Τοῦ συγχαίρειν καὶ εὐχαριστεῖν ἕνεκα. f.
Michaël Barbarossa Lubecensis.

ALIVD,

QUod dudum cecinit Rex, divinusq; propheta;
ÆTERNUS DEUS ASTRA GUBERNANS
ET TERRAM, SANCTOS MIRO DIGNATUR HONO-
Hocce pius, doctusq;, probavit RE,
Burch-

Burchardus, veræ constans pieatis amator:
Est illum in florentibus annis
Tantis ingenij donis dignatus IOVA,
Ut succincto tempore Doctus,
Atq; vir excellens factus, qui dignus honòre,
Mox nomen nactusq; Magistri.
Deînde Deus magno est illum dignatus honore,
Clemens ste3inumq; vocavit,
Vt Iuvenum doctâ Musarum Corda tenella
Informaret in arte Sedini.
Hoc benè sic fuuctus, nunc ut laudetur ab omni,
Hîc & quisq; manere precetur;
Ipsius ut lachrymis abitum nunc tota juventus
Deploret fœdantibus ora.
Sic docuit Iuvenes, sic hac sudavit in urbe,
Illum ut biblio theca celebret,
Fama & ut ingenij, nomen, laus eius in orbe
Semper erunt, dum terra manebit.
Nunc iterum magno DEVS est dignatus honore,
In patriam ut revocarit, in urbem
Quæ Septem magnas extendit ad æthera turres,
Spargeret ut sacra dogmata sacri
Verbi, & oves, meritus quas fuso sanguine Christus,
Ad viventem duceret undam.
Sicce Deus te, Burcharde, est dignatus honore
Tam miro; tibi sicce fidelis
Patronus fuit: idcirco cape gaudia læta,
Esto pertristi neq; vultu,
Quòq; vocat Deus astripotens te, pectore læto
Ito, te non deseret unquam.

apposuit, debita observantiæ Ergo
Henricus Ertmannus
Lub; Saxo,

ALIVD.

QVæ tibi pro meritis debētur, docte Magister
Præmia, Sedino quē prospera fata vocârunt?
Ignotum sanè. Bona mundi singula Crœsus,
Quæ vult, quæq; optat, fortunæ pondere solvit;
Verum non animi. Quare, si pensito mecum,
Quàm latè obstructas pandisti Palladis arces,
Incidit haud munus suscepto munere dignum.
Arcanam, duce te, multi prendêre Sophiam,
Non nulli, duce te, verborum pondera TullI
Ceperunt: duce te, repleti nectare sacrè
Sermonis multi, duce te, divellere vanas
Hæreticūm nugas, duce te, defendere verum
Multi novêre, hîc quos ludus nutriit almus.
Nos pensare tamē videamur ut, euge precamur,
Ut te, legitimè vocitatum ad castra Lubecæ
Patria, sancta Trias divino numine servet:
Adsit cunctipotens in cunctis tempore cuncto
Cœptis, atq; tuos optato fine labores
Ornet, ne labor in Domino sit inanis. Abito
Felix, ito bonus, nobisq; faveto, valeto.

Honoris amoris & moris ergo sc.
Franciscus Masius Prentzloâ-Marchicus.

ALIVD.

CUr moliris iter, nostrisq; excedis ab oris
Burcharde Aonij maxima fama chori?
Nonnè times pluvias, rutuli non fulminis ictus,
An non longinquæ tædia plura viæ?
Nec revocare valent juvenum suspiria mœsta,
Pallādis altiloquæ qui sacra tecta colunt?
Nec, quod fama refert, illo fera bella parari
In quo nunc porrò tu cupis esse loco?
Verum quid multis? tacitus si mente revolvo
Ire quid à nostrâ longius urbe jubet:
Experior summo benè sic placuisse Iehovæ,
Numine qui terris cuncta polòq; regit.
Postquam Stetini variâ namq; arte juventam
Instruxti notâ dexteritate rudem,
Numine non cæco summus te Iova vocauit:
Instituas populum cum pietate suum,
Dogmata salvifici & spargas cœlestia verbi,
Inquibus est omnis nostra locata salus,
Ac simul errores, cunctosq; aliena docentes
Cònfutes dictis insuperabilibus.
Pascito oves Christi sacrato semine verbi
Commisso & curam pro grege semper age,

Præmia promittens Dominum metuentibus alma
Terrens & sævis impia corda minis:
Sis talis, qualem Paulus jubet esse docentem,
Præfectus Christi qui volet esse gregi.
Quid superest, nisi fausta tibi de more precemur?
Iam patrium possis sospes ut ire solum.
Vade bonis avibus Lubecam, ubi divite fluxu
Omnigenas merces fertq; refertq; Travus.
Angelus ille Dei, qui Duxq; comesq; Tobiæ
Extitit, ignotam quando petebat humum:
Te quoq; deducat cum prole & conjuge salvum,
Et per longinquum vos tueatur iter.
Da Deus auxilium, sit ut hæc mutatio felix,
Cedat & in laudem nominis illa tui.
Hoc precor ex animo, &cordis penetralibus imis:
Hæc esto voti summa caputq; mei.

Honoris & debitæ gratitudinis ergo scrib.
Fridericus Scheningius, Stet. Pom.

ΔΙΑ΄ΛΟΓΟΣ

PHOEB: *Plangite dilectæ, lacrumas effundite, Natæ,*
Vestraq; pulsa sonent illiso pectora planctu:
Hinc etenim cupit ire statim, cathedrasq; Sedinas
Linquere BURCHARDUS, *clarissimus arte* MAGISTER:
Qui nostrum toto diffundens nomen in orbe,
Dexteritate pari, studio, vigiliq; labore,
Gorgoneis undis conspersit membra juventæ.

MUSÆ. Filius Majæ, Pater, ille velox
Nuncius, molles volitans per auras,
ANTONI nobis abitum MAGISTRI
ore ferebat.
Hei dolor! nunc eloquij potentis
Interit virtus, Sophiæq; nectar
Affluet non ad juvenes, ut antè, in
pariete privo

VIATOR. *Hei mihi! quos gemitus, querulos quos audio luctus?*
Auribus atque venit plangor hic unde meis?
Crinibus Ardalidas passis huc tendere Musas
Contusas palmis pectora, cerno, suis.

Inter eas medius subtristis Apollo graditur,
Non suavem citharam lætus, ut antè, gerens.
Alloquar an fugiam? metuo: consistere mens est:
Phœbe Pater salve, Tu quoq; dia Cohors.

PHOEB- *Oscine non fausto Sedini ad culta Lycæa*
Tendisti, juvenis: Nam quem lustare putabas
Occipitis crassâ cellas fuligine plenas
Castaliæ latice, & jejunam pascere mentem
Ambrosijs dapibus, sitientibus atq; liquores
Faucibus ubertim Parnassi infundere montis;
Lubecam celebrem nunc ritè vocatus, adibit,
Pascere Christicolas, quos morte redemit Iesus.

VIATOR. *Ah Latoë Pater, præstans dulcedine linguæ*
Vos quoq; Thespiades, turba novena, DEÆ,
Vincite quæso virum, nostrum retinete MAGISTRUM,
Amplius ut juvenes erudiisse queat.

PHOEB: *Non locus hic vestris precibus rellinquitur ullus:*
Namq; Iovis cerebro quæ nata est, Dia Minerva,
Illi exantlatos nuper post mille labores
Promisit templum prægrande recludere Honoris.
Nos hujus placito mentes submittere fas est

MUSÆ. Quod nequis mutare, piè ferendum.
Tu roga æternum potius Parentem,
Semper ut nostro eveniant MAGISTRO
prospera Fata.

VIATOR. *Ergo precor; quondam Tobiam comitatus euntem*
Qui fuit in Mediæ, pinguia rura, plagas,
Sit comes ille tibi, JHOVÆ venerande Sacerdos,
Uxori & soboli sit comes ille tua.
Euboici vincas, opto quoq; pulveris annos,
Det Deus ut tibi sint Fata secunda. Vale.

Observantiæ & gratitudinis ergò conscriptus à
Melchiore VVegenero Guben-Lusat.

ALIUD.

ET mihi non altâ meritum si mente maneret
Impositum, veteris nec staret gratia facti:
Nec te, nec superos unquam curare viderer.
Si vero tacitus mecum sub pectore volvo,
Incidit haud munus cõpensans munera capta
Ergo quid faciam? Faciam quod grata Iuventus
Cuî non Martis opus durum; sed blanda minervæ
Prælia monstrâsti quondam, Iovâq; precabor,
Ut te, qui patrias gressus moliris ad oras,
Angelico, sanctum veluti Lothum, agmine cingat,
Res ut agas, Spartamq; tuã, quã nactus es ornes
Et populo verũ, Iovæ gratissima dicas

Michaël Tilike. Sedino- Pomer:

FINIS.


9 21116 Bibliotheca 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393
S. VIII. 33

